

» filii quondam Alberti Malacapelle, Ziliosus quondam Rubei de
 » Arzignano, Bartholomeus quondam domini Galvani de vulpe,
 » Anthonius, Jacobinus et Gualdinellus de Colzade, Tamagnixus
 » quondam Bernardini de Melleo et Anthonius ejus frater, gau-
 » deant et gaudere debeant securitate et beneficio hujus pacis. Et
 » ab omnibus et singulis injuriis, damnis et offensis realibus et
 » personalibus illatis per eos in guerra et occasione guerre presen-
 » tis, omnibusque bannis, condemnationibus, processibus et senten-
 » tiis qualitercumque, quomodocumque et ubicumque latis seu fa-
 » ctis contra eos aut contra patres vel bona eorum, aut alicuius
 » eorum, sint protinus et libere absoluti et pro absolutis et liberis
 » penitus habeantur. Ita quod per inde non possint ullo tempore
 » impediri, molestari vel inquietari. Sed cancellentur ipsa banna,
 » processus, eondemnationes et sententie de libris comunis Vincen-
 » tie et dictorum dominorum de la Scala et quarumcumque terra-
 » rum et officialium eorum sine aliqua solutione pecunie. Et quod
 » ipsi Jacobucius et fratres et alii superius notati et quilibet ipso-
 » rum plene, libere, expedite et de presenti non obstantibus con-
 » tradictionibus aliquorum restituantur et reducantur in bonis, do-
 » mibus et possessis suis positis in civitate vel districtu Verone, Vin-
 » centie et in tenutam et possessum ipsorum bonorum, possessio-
 » num et domorum, in quibus et sicut ipsi vel patres eorum erant
 » antequam expulsi essent seu exivissent, alias vel nunc de civitate
 » Vincentie, nisi fuissent vel forent ipsi bona, possessiones et do-
 » mus per eos legitime vendita aut rationabiliter alienata. Quas
 » domos, possessiones et bona ad suum comodum et dispositionem
 » habeant, teneant et possideant pacifice et quiete, et ea vendere,
 » alienare, locare, dare et donare possint pro libito voluntatis non
 » obstantibus aliquibus statutis, provisionibus, reformationibus, con-
 » siliis, preceptis vel aliis factis vel faciendis in contrarium loquen-
 » tibus. Et insuper habeant ipsi et quilibet ipsorum pro se et bonis
 » ac possessionibus suis et pro laboribus et habitatoribus eorum fran-
 » chitatem et immunitatem annorum decem futurorum a factionibus